



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quæstio 2. An id quod ait Euangelista: Antequam conuenirent, indicio sit
eos postea conuenisse?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

VERSUS 18.

Cum esset desponsata mater Maria Ioseph, antequam convenirent, inuenta est in utero habens de Spiritu sancto.

QVÆSTIO I.

An desponsata tantum, an matrimonio iuncta fuerit Ioseph B. Maria?

§. 1. IN Græco textu est, *μνηστεύσθαι* id est *μνηστὴρ* *μαθήας*, desponsata enim mater eius Maria. Qui sponsalia duntaxat, non matrimonium arbitrantur esse, Græco verbo utuntur; *μνηστεύειν* quidem est ambire nuptias, & ambiri à proco, ac deinde *μνηστὴρ*, desponsus, desponsata. Sed tamen signat & eam, quæ ante ambita, in vxorem ducta est. Il. §. Et Theoc. Idyll. 18.

Μνηστὴρ ἐλέανεν ὁ νεώτερος ὁ ἀπὸ τοῦ ὕδωρος.

Qui desponsam duxerat Helenam iunior filius Atrei.

Sane Lucæ 2. §. *μνηστεύσθαι* dicitur, quæ iam vxor erat. Hebræum *אָרָא* *Aras*, despondere significat. Hoc loco tamen est in Syro *ܡܢܝܨܬܐ*, quod non modo desponsatam, sed traditam; emptam significat. Quod in sponsam & coniugiam convenit, sed potius tamen coniugiam. L. tinitis pro vxore sponsa dicitur, nec tamen repugnat, cum omnis vxor sponsa, seu desponsata sit. Hoc sane constat in scripturis sacris, spiritalem Ecclesiæ, & fidelium animarum cum Christo coniunctionem, sponsationem, & desponsationem vocari, quamvis matrimonium allegoricum sit, quod Christi coniugio tanquam typo designatur. Nam reuera in eo matrimonio, est non modo promissio indiuisa animorum, & vinculi, sed purissima, fecundissimaque per gratiam consummatio; & multa proles cælo educanda regeneratio. Sponsas autem vxores vocari monet comm. Hieron. & Hieronymus plenius docet libro contra Heluidium. Verum itaque certum matrimonium fuisse antequam B. Virgo conceperet de Spiritu sancto, Hieronymus existimat; Augustinus de nuptiis, & concupiscentia c. 11. & l. 13. contra Faustum c. 8. Chrys. hom. 4. in Matth. Ambros. l. 2. in Lucam, alique interpretes, at sola fuisse sponsalia putat O. igen. hom. 1. Basil. Epiph. hæres. 78. Nazia. Zen. de nat. uitate Saluatoris, Cyrillus catech. 10. Bernardus, & multi hoc tempore. Scærezus noster nomine sponsalium putat intelligi matrimonium ratum, hoc est, contractum, vereque mutuo consensu firmatum, etiam in vniuersis rebus commorantium, absque vfu tamen matrimonii. Verum hac in re mihi nequaquam ambiguum videtur; Mariam virginem non modo in matrimonio fuisse, sed etiam in domum, potestatemque mariti venisse. Primo enim constat sponsalium nomine matrimonium intelligi. Nec dubium esse conjugium, id quod Osee 2. 19. legimus: *Et sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio, & in misericordia, & in miserationibus, & sponsabo te mihi in fide.* Aeterna desponsatio, verum; sed spiritale matrimonium indicat: cuius sunt typi fidelium matrimonia. Itaque hoc matrimonium est æterna desponsatio, & desponsatio est matrimonium, sordus æternum, perpetuo iustitiæ & fidei vinculo firmatum, ut nonquam sponsa dicatur; res tuas tibi habet. Con. ule S. Hier. In verba ista expolitionem. Confirmat hoc causa propter quam, filium de desponsata n. sci Deus voluit. Noluit enim Deus quenquam de matris pudore debere. Ut vero fama integra seruaretur virgini, non satis erat desponsatio, opus erat vero matrimonio, & cohabitatione, gratius

Adami Conzen in Euang. Tom. I.

erat desponsatam, quam liberam, incerto patre prægnantem videri. Eo igitur tempore, quo illam angelus salutarum venit, cum Iosepho marito habitabat, audito vero incarnationis Dominicæ oraculo, & Elisabethæ conceptu, mox in montana Iudææ progressa est, ibique menses tres exegit, rediens deinde animaduersa est à Iosepho in utero habens, quod satis indicat, eam iam ante cum eo habitasse, & publice in matrem viri conuenisse. Quod enim Iosephus notarat, id sane alias feminas cognatas, quibuscum versabatur latere nequaquam potuisset, vterus scilicet tumens. Minimum igitur intemperantiæ notam subisset, quæ scilicet nuptiarum sollemnium benedictionem, celebritatemque voluptatis audacitate anticipasset.

§. 2. Causa cur ex vxore desponsata nasci Christum voluerit Deus, à Patribus, à D. Thoma, à nostro Barradio, Salmerone, aliis adferuntur. Inter multas illa S. Ignatii, *ut partus eius claretur diabolo*, multorum reprehensiones patitur. Quid enim? an nescire demones potuerunt, virginem nulli vnquam viro iunctam fuisse? Nonne omnium rerum naturalium inspectores factum in utero sine virili semine formatum, omniaque clausa, atque inuoluta viderunt? nonne Elisabetham audierunt, cum matrem domini sui, eam appellaret: cum Baptista in utero exultaret: cum Maria diceret: fecit mihi magna qui potens est? Hinc factum ut multi sancti martyris rationem irriserint.

Si tamen intelligere sanctorum dicta, quam carperent mallet, forte veritatem facilius inuenirent. Potuit sane partus ille latere diabolum, Deo vel cogitationem eius alio vertente, vel ad cognitionem non conlo? currente. Neque enim omnia semper demones cogitant, & crebro vis tormentorum ita intellectum occupat, vel alia quæ incommoda illis accidunt, ut ad paucam cogitationem possint adicere, ita ut nullus ex illis sit aliquando, qui aliqua facta singularia Dei cognoscat. Cum ergo conceptionem factam esse agnoscerent, nullus erat, qui modum factæ meminisset. Neque ad hoc miraculo opus erat, sed vt dixi tali ordinatione, vt certo temporis spacio, ex miseris spiritibus nullus quicquam de rebus ad sanctissimam virginem pertinentibus intellectu complecteretur. Nonne laurunt esse virginem, & solum virginis sanguinem in foetum coaluisse, nec tamen certi quicquam de Christo statuere habebant: cum enim matrem & vxorem tenerent, non satis accurate distinguere potuerunt. Facile fuit igitur in signis his errare, quemadmodum in aliis Messiae argumentis: Quam enim admiranda Christi natiuitate gesta sunt, quæ illum promissum signa natiuitatis Christi lauruerunt demones. At vero si in matrimonio non fuisset, nullus dubitasset, conceptum partumque virginis esse. Non enim vel apud ipsos licet pessimos suspicio fornicationis esse poterat: ideo quod scirent, nullum illam vnquam peccato, vel praua cogitatione, mortue violatam: viderent etiam maiore eam puritate, deuotione, omniumque virtutum genere pollentem, magna à Deo gratia donari, nec admissi tamen sceleris vlla signa, vel poenitentiae indicia: Quæ erant indubitata innocentie argumenta.

QVÆSTIO II.

An id quod ait Euangelista: Antequam convenirent, inducto sit eos postea conuenisse?

§. 1. Hæc ex loco Heluidius perpetuam sanctæ Dei virginis impugnat. Eum S. Hieronymus refutat. Sectam tamen ille duxit eorum, B. rum,

Fame vir-
ginis erat
necessariū
matrimo-
nium, &
cohabitatio.

Quomodo
partus la-
tere diabo-
lo?

Demonas
multa i-
gnorant.
Quædā Dei
opera o-
mnes la-
tent.

Clarissima
signa nati-
uitatis
Christi la-
uerunt de-
mones.

Innocentia
B. virginis
notissima
demoni.

Sponsalia
sacra nu-
ptia.

Vxores ve-
cantur etia
sponsæ.

Sponsalia
pro matri-
monio ratio,
nō consum-
matio.

Desponsatio
æterna matri-
monium.

Adami Conzen in Euang. Tom. I.

tum, qui Heluidiani appellati sunt; iidemque videntur, quos S. Epiphanius Antidiotmaritas appellat. Prima eius (Heluidii) propositio fuit. *Matthaeus loquitur: Christi autem generatio sic erat: cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph, priusquam conuenerent, inuenta est, in utero habens. Ecce, inquit, habes desponsatam, non commendatam ut dicis; & utique non ob aliud desponsatam, nisi quandoque nupturam, neque enim de non conueniunt Evangelista dixisset: Priusquam conuenerent: quia nemo de non pransuro dicit, antequam pranderet. Deinde ab angelo uxorem appellatam, & coniunctam.*

Respondet D. Hieronymus. Nunquid non quotidie Dei manibus paruuli finguntur in ventribus; ut merito erubescere debeamus, Mariam nupsisse post partum? Quod si hoc illi turpe videtur, superest ut non credant etiam Deum per genitalia virginis natum, turpius est enim iuxta eos, Deum per virginis pudentia genitum, quam virginem suo viro nupsisse post partum. Iam si libet & alias naturae contumelias, non enim mensibus veterum insolescentem, fastidia, partum, sanguinem, pannos. Ipse tibi describatur infans, tegmine membrarum soluo conuolutus. Ingerantur dura praesepia, vaginus paruuli, octaua diei circumcisio, tempus purgationis, ut probetur immundus. Non erubescimus, non silemus. Quanto sunt humiliora, quae pro me passus est: tanto plus illi debeo. Et cum omnia replicaueris, cruce nihil contumeliosius proferes, quam profitemur, & credimus, & in qua de hostibus triumphamus. Sed ut haec, quae scripta sunt, non negamus, ita ea quae non sunt scripta, renuimus. Natum Deum esse de virgine credimus, quia legimus: Mariam nupsisse post partum, non credimus, quia non legimus.

Apparet verum esse, quod Hieronymus monet; *Haereticus Heluidianum fuisse rusticum vix primis imbutum literis. Nam iudicia ex reuera exempla plurima ostendunt, crebro sic exponendum siue latinas voces, priusquam, antequam, siue hebraeam וְכֵן ita sane Isaia 66.7. Antequam parturiret, peperit: antequam veniret parvus eius, peperit masculum. Parturit est dolore parturientium premi. Non autem significat fore, ut in posterum parturiret, nulla enim parturit, postquam peperit. Est igitur similis locutio, ac si diceret quispiam: Caia antequam domum Cai deduceretur, inuenta est in utero habens, certe non sequitur postea de d. & am esse: sed causa repudii ostenditur; Neque enim dubitat, quin Caius mox obnuntiatus sit; conditione tua non vtar. Plena sunt his locutionibus omnia monumenta. Nero Afrubalem cecidit, antequam copias suas cum fratre coniungeret, nec postea tamen coniunxit. Ita & apud Tullium l. 3. de oratore. & fallacem hominum spem, fragilemque fortunam, & inanis nostras contentiones; quae in medio spacio saepe anguntur, & corruunt, & ante in ipso cursu obruuntur, quam portum conficere potuerunt. Non timuit Orator, ne quis obieceret, postea conspectum esse portum ab iis, qui in medio cursu perierunt. Eodem plane modo vti sunt huius verbi Synonyma, PRIUS QUAM.*

Nec obiectum est Maroni, Equos Rhodi postea pabula Troiae gustasse, cum eos Diomedes auertisset.

— Priusquam

Pabula gustassent Troiae, Xanthumque bibissent.

Quid ille, qui perpetuam beneficii memoriam apud se recludere peroptabat?

Ante leues ergo pascuntur in aethere cerui,
Et freta destitunt ut nudos in litore pisces,
Quam nostro illius labatur pectore vultus.

An ille post obliuionem ista futura cogitauit?

Neque idem ille verius est, ne Reginam Carthaginis apud inferos nubentem inducere videretur, cum caneret:

Antequam
de illis qua
fieri vel so-
lent, vel co-

Sed mihi vel tellus opeem prius ima debiscat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras,
Pallentes umbras erebi, noctemque profundam.
Ante pudor, quam te violem, aut tua iura resoluam.

Imperita igitur malitia fuit illa haereticis, errorum tamen, qui nostro tempore grassantur, & perimunt praebula existit. Aequant nostri haeretici virginitati nuptias, fecit idem Heluidius, eaque causa B. Mariam virginem matrem aliorum filiorum esse asseruit, ut eius exemplo virgines ad thalamum inuiteret. In illud nunc impetum facio, inquit Hieronymus, in quo in virginitatem & nuptias comparando disertus esse voluisti. Hoc igitur modo haec verbainelligenda sunt, ut & Dei genitricis virginitatem in conceptu, & partu asseruant, & eiusdem virginis integritati post partum nihil derogent. Verum de tota quaestione legatur Hieronymus contra Heluidium, qui hydram illam gladio spiritus confecit, qui hanc sibi legem dixit.

Continuo ferro culpam compece, priusquam

Dira per incautum serpent contagia vulgus.

3. Georg. tum aliquandiu contagio est impedita, sed nostro aeo, in quod omnia horrenda confluxerunt, recruduit. Ut cuique pro exemplo Euangelicae locutionis, vere adferre liceat, quod in Miloniana Tullius dixit. Praelare enim vixero, si quid mihi acciderit, priusquam tantum mali videro.

VERSVS 19.

Ioseph autem vir eius, cum esset iustus, & nollet eam traducere: voluit occulte dimittere eam.

QUESTIO I.

An Ioseph fuerit iustus?

§. 1. **N**ouatores magnopere laborant, ne Ioseph vere iustus esse iudicetur. Quidam interpretes, inquit Caluinus, intelligunt, Ioseph, ideo quod iustus esset, voluisse uxori parcere: ita illis iustitia est humanitas, vel moderatio animi ad clementiam propensor. Ipse cum aliis duo haec membra aduersatiue legit; iustum quidem fuisse Ioseph, sed tamen de fama uxoris sollicitum. Proinde hanc iustitiam in odio, & detestatione sceleris fuisse. Aretius imputatitiam sine reali, iustitiam illi tribuit, verum eiusmodi inter scribendum rationes producit, quae cum vere & in se iustum gratia Dei inhærente conuincant. Verba eius sunt. Deinde iustus est, iusti enim filii Dei, iustus debuit esse pater putativus, deinde pia virgo iustum merebatur maritum: sed aliter iustus est Ioseph, aliter Christus, iustus est civiliter Ioseph, et in frommer vifrichtiger Widermann / iustus etiam imputatiue coram Deo, cum natura esset peccator & ira Dei etiam obnoxius, nisi gratia esset exemptus, demum veram iustitiam aliunde habet: Christus natura iustus ipsa est iustitia, iustos etiam alios facit & a peccato liberat. Caterum iustitia Iosephi sic vtiliter resensetur: primum facit ad historia iam narrata fidem, non cognouit sponsam suam, iustitia erat nondum perfectis nuptiis quicquam ab ea postulare: deinde quia iustus est admonitus ab angelo deinceps quoque libenter abstinet: tertio, fidem habet angelo potius, quam sinistru cogitationibus, quod iustitia, hoc est, probitatis ciuile erat. Denique iustus cum sit, iustam non vult traducere. Tertio ad Iosephi personam pertinet, quod non vult eam ad deum uocare, quod alii ad ultimum supplicium, quod ex lege adultera debebatur, referunt, q. d. potuisse quidem Iosephum eam apud Magistratum accusare, & exposcere ut secundum legem exemplum aliis statueretur, quod sane fuisset summi iuris, & rigida iustitia, verum id noluisse, maluisse sponse in eo parcere, quia iustus erat, ut ne quidem infamia ipsam notari voluerit: ego arbitror eum in hac fuisse sententia, ut nec penis nec infamiae, quantum quidem ad ipsum pertinebat, exponeretur.

§. 2. Nulli dubium esse debet; Iosephum hoc loco